



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 1. De qualitatibus Consiliarioru[m]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

# TITVLVS SECVNDVS.

## *De Consiliariis.*

### Articulus Primus,

#### *De qualitatibus Consiliariorum.*

1. **T**Res potissimum qualitates sunt in consiliariis requisitæ. Prima est Prudentia cum doctrina sufficienti & experientia conjuncta: quia hæc tria ad integritatem veri consilii necessaria sunt. Etsi enim quis speculative doctissimus, si usum & praxin rei de qua judicandum est non habeat, toto cælo aberret necesse est. Similiter etsi doctrinam simul & experientiam habeat, si tamen rei, loci, temporis, personarum circumstantias, prudenter attendere nesciat, nec doctrina nec experientia illi prodesse possunt.

2. Fidelitas amore firmata: quæ quidem in Consiliariis Regum & Principum tria objecta habet: bonum Dei, bonum Regis, & bonum Regni. *Bonum Dei*: non enim potest quis esse fidelis Regi qui infidelis est Deo. *Bonum Regis in hoc consistit:*

ut ejus personæ, statui, & felicitati in omnibus bene & fideliter consulant. *Bonum Regni*: ut rationem populi habeant, quatenus quiete sub Rege conservetur. Dicitur (*fidelitas amore firmata*) vix enim sine amore ejus cui consulitur, fidelitas stare potest. Ut bene S. Gregor. *Lib. 1. Epist. 33.* *Nullus tibi fidelior esse potest ad Consilium quam qui non tua sed te diligit.*

3. Est animi libertas & constantia in consulendo, si enim desit animi libertas, ut si timore aliquo displicentiæ aut perdendi favoris, non audeat veritatem eloqui, à consilio removendus est: nec minus ille qui in omnem ventum (ut non displiceat) sua consilia vertit & invertit, nulla Soliditate veritatis innixus. Unde bene dicit Senec. *Lib. 6. de benef. cap. 30.* *Monstrabo tibi (inquit) cujus rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit; ille qui verum dicat, nemo enim ex animi sententia suadet dissuadet quæ, sed adulandi certamen est, & unum amicorum omnium officium, una contentio quis blandissime fallat.*

Arti-